



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

6. Licet occidere invasorem usurpantem rem, quae tantum est valoris unius aurei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

PROPOSITIO VI.

Licet occidere invasorem usurpantem rem, quæ tantum est valoris unius aurei.

8. **V**bi bene notandum, quod dicitur usurpantem rem, ut est in præfenti, & post impactam alapam fugientem, per quod ostenditur, jam in possessione esse, & cessasse violentam invasionem, adeoque abesse moderamen inculpatæ tutelæ, dum pro auro & laesione honoris, quæ alio modo reparari possent, vita tollitur, quod si licitum fuerit talem invasorem occidere multo magis licebit Judicem injuste talem aureum abjudicantem interficere, cum ex *Isidoro Pelusio* *ta multo pejus & deterius sit injustam sententiam ferre, quam injuste agere, gravius enim ait Isidorus Hispalensis lib. 3. sent. cap. 52. Lacerantur pauperes à pravis iudicibus, quam à cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam iudex iniquus in suis. Latrones in accessis faucibus ac latebrosis la-*

rentes insidias ponunt; Isti palam rapacitatis avaritiâ seviunt, hostes in alienorum tantum sanguinem intendunt: Judices quasi crudelissimi carnifices civium oppressione sua subditorum vitam extinguunt.

9. Sed & majorem Judicibus culpam habent Principes, utpote pravorum Judicum institutores, cum plus culpæ habeat mandans & committens, quam mandatarius & commissarius, & quod quis facit per alium per se fecisse censetur secundum *reg. jur. in sexto*. Princeps enim ait: *Sarisberiensis in Político tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur, & Isocrates serm. 44*. Principem alloquens: *Imperium gerens inquit, nullius mali Athei aut Pseudopolitici opera ad gubernandum utitur, illius enim peccatorum causa in te referentur*. Quod igitur de Judice, id servata proportione, Principi quoque applicari potest. Quod si quis quærat, qualiter se habere debeat, si ab aliquo quod nondum possidet, sed ad quod proximam expectantiam & jus inchoatum habet, ab altero deturbetur vel impediatur, respondet alter laxista.

Propo-